



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

30. Commemoratio SS. Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum S.
Reliquiæ asservantur in Ecclesiis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

600 XXX. Octobr. Commem. SS. Mart. &c.
mus. Ad preces ergo, & pietatis suffra-
gia!

Commemoratio . Sanctorum
Martyrum , & aliorum Sanctorum, quo-
rum Sacrae Reliquiae asservantur in
Deo dicatis Ecclesiis.

EXHORTATIUNCULA I.

Quid nobis sacris loquuntur ex sar-
culis Sanctorum gloriosae Reli-
quiae? Aliud certè non, quàm illa Pau-
li Verba: *Exhibeamus corpora no-
stra hostiam viventem, sanctam, &
Deo placentem. Oportet enim corrup-
tibile hoc induere incorruptionem, &
mortale hoc immortalitatem.* 1. Cor. 15.
Lassetur corpus, modò vigeat spiritus.
Parùm sapit, cui nihil sapit, nisi in pala-
to, & sensualitate!

Instructio meritoria.

Sed quomodo *hostiam viventem*?
Si mortificationem Jesu in corpore no-
stro circumferamus. Mortificationem
specialiter in visu, in gustu, & auditu.
Hi sensus ò quàm vivaces non sunt! Re-
primamus per aliquot actus vel in medi-
tatio-

XXX. Octob. Commemorat. SS. Martyr. 601
ratione, vel examine nobis determinandos. Pro moderamine quinque sensuum oremus dolorosum S. Rosarium. Merebimur hac devotione, ut vita Jesu, vita & Sanctorum manifestetur in corporibus nostris.

II.

Grandis thesaurus in Ecclesiis Sanctorum Reliquiæ. Si pauperes, si nudi, si indigi sumus: quid moramur languidi? Curramus, quæramus ad Sanctorum corpora, quæ jam configurata corpori claritatis Christi Domini. Gaudent eorum animæ in coelis: Quid non impetrabunt invocantibus se? Per aulæ ministros datur, & panditur via ad Principes: Et his tenebrarum filiis infeliciores sint filii lucis?

Instructio meritoria.

Coram sacris Reliquiis flectentes, recitemus Lycanias de omnibus sanctis, ut eorum intercessione, & meritis clementer avertantur mala ecclesiis catholicis propter impios, & perversos forte imminencia. Non deserent Sancti locum dilectæ habitationis suæ.

Cc

III. Quo-

III.

Quoties sacras intuemur Reliquias, toties nobis dici imaginemur: *Ecce! Isti sunt Sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine Agni laverunt stolas suas. Fili! Quid sustinimus pro Christo? Sanguinem non petit; sed exemplarem, sanctam, & immaculatam vitam. Efficacius vitæ, quam lingue testimonium, habent & opera vocem suam tacente lingua.* Cyprianus.

Instructio meritoria.

Quotidiana Sacrarum Reliquiarum visitatio erit earum imitatio. *Quis autem erit, qui nobis noceat, si boni amulatores fuerimus? 1. Pet. 3.* In gratiarum actionem, quod Deus suos Sanctos ita glorificet in eorum sacris corporibus, & reliquiis, dicamus *Te Deum Laudamus* cum S. Rosario Glorioso. Commendemus porrò carnis nostræ Resurrectionem ad Gloriam sempiternam. *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum. Tert.*

Festum